12

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITOREM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER STENHOUSE,

Scotus.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

MANILL.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.

VIRO PERHONARABILI ET ORNATISSIMO

FRANCISCO,

MORAVIE COMITI,

DOMINO DE DOWN,

ST. COLM ET ABERNETHY,

DOMINO STUART DE CASTLESTUART,

COMITATUS DE ELGIN PRAEFECTO,

HOC OPUSCULUM,

QUALE QUALE SIT,

DEDICAT

ALEXANDER STENHOUSE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

AUCTORE ALEXANDRO STENHOUSE.

Morbus de quo pauca dicere est mihi in animo, cutis flavedine maxime notabilis, inde appellationes varias traxit. Icterus nominatus fuit, ab ικτερος, avis lutea. Aurigo, ex auri colore, apud Gallos Jaunisse appellatur, unde nomen sermonibus hodiernis derivatur.

Cullenus eum definit, " Flavedo cutis et oculorum ; faeces albidae ; urina obscure rubra, immissa colore luteo tingens."

HISTORIA.

HISTORIA.

Aetas omnis, et sexus, huic morbo obnoxia sunt, sed ii precipue, qui vitam segnem degunt, et qui liquoribus spirituosis liberius utuntur. Languor, lassitudo, anorexia, aciditas, nausea, et vomitus eum plerumque praecedunt; Etiam adsunt, oppressionis sensus circa praecordia, anxietas magna, et aliquid difficultatis spirandi. Gradatim per totam corporis superficiem, color flavus diffunditur, qui primo in tunica oculi conjunctiva sese manifestat. Urina subrubra fit, et immissa colore luteo tingit. Alvus fere astringitur, et faeces durae, et albidae sunt, faetoreque solito carent.* Dolor in

* Hoffman.

in Hypochondrio dextro plerumque sentitur, qui interdum valde acutus, et pressura multum ingravescit. Nausea et vomitus urgent, et post pastum plurimum augentur. Cutis aret pruritque. Sapor amarus in ore sentitur, et saliva colore subcroceo tincta percipitur. Sanguis missus, et jam concretus, serum flavum ostendit. In exemplis gravioribus, singultus et rigores adsunt. Auctoribus exempla narrantur, in quibus arquaticis, omnia colore luteo tincta visa sunt, sed hoc rarissime si unquam accedit.

Pulsus in hoc morbo multum variat, sed in genere velocior est naturali, in exemplis quibusdam tamen, presertim dum concretio per ductus transit, tardior naturali fit.

Progrediente morbo, et precipue si nullae

fuerint

fuerint remissiones, symptomata omnia ingravescunt. Cutis fuscior fit, unde Icterus Niger dicitur. Dolor Epigastrii, et Hypochondrii dextri plurimum augetur. Singultus et rigores frequentius evadunt, pulsus celerrimus fit, et debilitas magna comitatur, et totum corpus torpescit. His occurrentibus, Ascites saepe supervenit, vel Hemorrhagiae, vel sudores magni, aegro molestis, finem cito imponunt. Contra, sensus gravitatis, et oppressionis, circa praecordia imminutus; appetitus et digestio redeuntia; faeces colorem flavum assumentes, et facile dejectae; urina quantitate majore reddita, et immissa colore luteo tingere cessans, terminationem faustam indicant.

SECTIO

SECTIO CADAVERIS.

Corpore post mortem aperto, cerebrum, ossa, et etiam cartalagines colore luteo tincta inveniuntur, et secretiones omnes praeter lactem, et humores oculi, colore eodem tinctae sunt. Ductus biliferi una parte, interdum fere prorsus impervii, alia, majores solito. Concretiones ductibus saepe occurrunt, sed saepius in vesicula fellis. Bilis aliquando adeo viscida observatur, ut fere ductus impervios faciat. Hepar aut pancreas etiam, haud raro scirrho laborant.

CAUSAE EXCITANTES.

Inter causas Icteri excitantes enumeranda sunt, quaecunque bilis excretioni transitum negant, aut ejusdem copiam nimiam eliciunt.

CONCRETIONES BILIARII.

Concretiones Biliarii in ductu communi impacti, eoque bilis excretioni obstantes, sunt causa Icteri frequentissima. Cullenus hanc speciem definit, " Icterus cum dolore in regione epigastrica acuto, post pastum aucto, et

cum

cum dejectione concretionum biliosarum. Creberrime in fellis vesica, et ductu cystico inveniuntur, sed donec ductum communem intraverint, Icterum inducere non possunt.

Quoad magnitudinem, concretiones plurimum variant, modo vix arenae particulam, modo vesicae fellis magnitudinem aequantes Concretiones, duritie formaque, etiam sunt diversae, aliae asperae et angulares, aliae ovatae rotundaeque, et in superficie planae.

Corporis nisus vehementes, qualis currendi, saltandi et vomendi, interdum concretiones a vesica fellis in ductus impellere dicuntur, et hoc modo Icterum inducere.

Id quod concretionum biliosarum formationi favere videtur, est vita indolens et segnis. Hallerus

Hallerus commemorat,* se eas in reis saepe observasse, mors quorum, detentione longa in carcere antecessa fuit. Etiam dicitur† eas saepe observari vesicis felleis bovium, qui dum menses hyemis durabant, stabilati fuerant.

SPASMUS DUCTUUM.

Inter species Icteri, Cullenus Icterum spasmodicum recenset, definitque, " Icterus sine dolore, post morbos spasmodicos, et pathemata mentis :" sed diu multumque disputatum fu it, num hi ductus spasmo affeci possunt, et adhuc

lis

* Vide Opusc. Patholog.

† Powell on the Liver.

lis sub judice est, tamen spasmi fautoribus consentio, et huic opinioni favet, quod opium, fomenta, et alia antispasmodica huic morbo plurimum prosunt.

Duodeni spasmus Icterum etiam inducere queat, enim ductus communis choledicus, propter modum obliquum quo intestinum hunc intrat, per fibras musculosas sese contrahentes aptissime occludatur.

Cum mentis pathemata hunc morbum inducunt, ductuum vel duodeni spasmum inducendo agunt.

TUMORES PARTIUM VICINARUM.

Scirrhus, vel tumores praeter naturam hepatis, pancreatis, vel partium vicinarum, ductus biliferos comprimentes, haud raro Icterum inducunt. Hoc esse causam suspiciamus, si Icterus post morbos hepatis accedit; si tumor in hepatis regione extrinsecus percipi potest; si remedia, concretionibus idonea, nil valent, et si morbus sine remissione diu perstiterit. Icterus tamen scirrhum partium harum non semper sequitur, enim in quibus nunquam extitit, hic morbus, scirrhus post mortem inventus fuerit. Abusus liquorum spirituosorum scirrhum hepatis saepe inducit.

Ad hujusmodi causas etiam referendus est.

Icterus

Icterus gravidarum, qui interdum sub graviditate oritur, et pendet ab utero amplificato, et in ductus biliferos per viscera premente; necnon a faecibus in colo accumulatis, et in ductus prementibus, originem aliquando ducit; nonnulli etiam credunt, saepe oriri a sanguine in hepate accumulato, et bilis excretion obistante, in ductus premendo.

DUCTUS COALESCENTES.

Ductus interdum adeo crassi fiunt, ut canalis eorum valde imminuatur, vel omnino deleatur, quod ex spiritubus stillatitiis liberius

assumptis oriri narrat SAUNDERS.* Ductus ex omni parte interdum occluduntur, lateribus eorum post inflammationem cohaerentibus.†

ICTERUS INFANTUM.

ICTERUS qui interdum in infantibus haud diu post natales oritur, ex meconio retento, et ductus communis ostium obstruente, pendet.

Inter causas Icteri etiam enumeranda sunt quaecunque

* Vide SAUNDERS on the Liver.

† Vide BAILLIE, p. 240.

quaecunque bilem supra modum eliciunt, secuti febres remittentes, et caelum calidum; enim his, bilis supra naturam elicita, in intestina quantitate insolita descendit, et inde per vasa absorbentia hauritur, et in sanguinem convehitur; sed ab hac causa, Icterus originem raro ducit.

DIAGNOSIS.

Morbi, quibus Icterus forsan confundi potest, sunt chlorosis, et febris Indiae occidentalis.

Chlorosis facile distingui queat, cutis colore

potius

potius ad viridem quam flavum spectante, et urina palida limpidaque. Aetas etiam quae huic morbo proclivis, et sexus qui ei solus obnoxius est, satis ab Ictero distinguit.

Febris Indiae occidentalis ab Ictero facile secernitur, pyrexia vehementi; delirio; prostratione virium cita; et emaciatione magna.

RATIO SYMPTOMATUM.

Cutis et urinae color, a bile sanguinis sero mixta pendet. Diu disputatum erat, seu bilis in sanguinem convecta fuit, in venas hepaticas regurgitando, seu absorptione. At

MONROII

Monroii celeberrimi experimentis perfecte probatum fuit, absorptionem esse causam solam, qua bilis in sanguinem convehi potest.

Languor et lassitudo, consensu inter intestina aliasque partes corporis nituntur. Verum in hoc morbo, intestina propter bilis stimuli defectum torpent. Nausea et vomitus originem ducunt, ab consensu inexplicabili qui inter hepar et ventriculum obtinet. Alvus astricta, ab bilis defectu in intestinis oritur. Faecum color causam eandem agnoscit. Visus deprivatus si unquam accedit, a bilis mixtura oculi humoribus pendere videtur. Dolor in hepatis regione, concretionum irritatione, aut ductuum distentione bile niti apparet.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS quae hujus morbi ducenda est, pendet ex causis quibus oritur, prout hae plus minusve fixae, ita, si concretionibus vel spasmo nititur, prognosis plerumque fausta est: sed si induratione hepatis vel pancreatis semper infausta, et saepe immedicabilis. CULLENI verba de hoc transcribere liceat. " When jaundice is occasioned by tumors of the neighbouring parts compressing the biliary duct, I believe the disease can very seldom be cured. That such is the cause of jaundice, may with some probability be supposed, when it has come on in consequence of other diseases which had subsisted long before, and more especially such as had been attended with

symptoms

symptoms of obstructed viscera. Even when the jaundice has subsisted long without any intermission, and without any pain in the epigastrium, an external compression is to be suspected. In such circumstances, I consider the disease as incurable; and it is almost only when the disease is occasioned by biliary concretions obstructing the biliary ducts, that we may commonly expect relief, and that our art may contribute to the obtaining it. Such cases may generally be known by the disease frequently disappearing and returning again; by our finding, after the former accident, biliary concretions amongst the faeces, and by the disease being frequently accompanied with pain in the epigastrium, and with vomitings arising from such pain.

MEDENDI RATIO.

In Icteri curatione, sunt indicationes duae.

Primo, Causam excitantem amovere.

Secundo, Symptomata gravantia allevare.

Concretiones biliarae causa Icteri frequentissima sunt. Hae concretiones ex forma, et mole, irritationem tantam interdum excitant, ut ductuum et hepatis inflammationem inducant, itaque cum aeger robustus et validus sit, et hypochondrii dolor urgeat, sanguinem mittere debemus, pro aegri viribus, et symptomatum violentia. Venaesectio non solummodo utilis inflammationem amovendo, etiam rigiditatem

tensionemque

tensionemque fibrae muscularis submovet, et hoc modo concretionis descensui favet.

In concretionibus expellendis, emetica multum laudantur; effectus bonos producunt, vesicam fellis et ductus comprimendo, emulgendoque, eoque concretiones deorsum cogendo. Sed ex modo operandi planum est, tam facile propellere posse concretiones ex vesica fellis in ductum, ut ex ductu in duodenum. Ergo emeticis mitioribus, scilicet ipecacuanha, quae drasticis semper anteponenda sunt, uti debemus; et ea, ut suadet SAUNDERS, dosibus refractis danda, ut pro tempore aliquid nauseae producat, sed emetici effectum plenum tandem efficiat. Sed si vel ex paroxysmi diuturnitate, vel doloribus cruciantibus suspicari potest, concretionem esse nimiae magnitudinis, ab emeticis omnino abstinendum est

Purgantia

Purgantia etiam multum inserviunt descensui concretionis promovendo; eodem fere modo ut emetica agunt; etiam maxime valent ad alvum laxam serveandam, quod inhoc morbo plurimi interest. Exercitatio etiam, praesertim equitatio ad concretiones expellendas minime negligenda est.

Opium plurimum prodest dolore allevando, et partium rigiditate tensioneque dimovenda. Ad effectus eosdem producendos, fomenta, balneum tepidum, et enemata emolientia maxime juvant. Solutio concretionum biliosarum quaeritata est et quamvis has concretiones extra corpus solvere possimus, parum expectandum est ullam substantiam per circuitus ambages transeuntem, quantitate idonea in vesicam felleam advenire posse, ut concretionem ibi solveret.

ICTERUS SPASMODICUS.

Cum Icterus ductuum vel duodeni spasmo nititur antispasmodica internè et externè exhibenda sunt. Inter antispasmodica interna, principia sunt opium, et enemata emolientia; inter externa, fomenta, et balneum tepidum. Cum morborum aliorum symptoma est, attentio nostra ad morbum primarium dirigenda, quo sublato, alter cessat. Cum hepatis vel pancreatis scirrhus causa excitans est, prognosis maxime infausta; tum hydrargyrus diu pleneque ingestus remedium solum quod aliquid confert. Purgantia salina, aqua large diluta, etiam laudantur.

Si

Icterus gravidarum plerumque nil postulat praeter infantis partum, vel purgantia lenia. Si ex statu plethorico vasorum hepatis oriri videtur, sanguis mittendus.

Icterus infantium nil praeter purgantia requirit.